DE

CUSTODIA ANGELORUM

PRÆLECTIO

F. VINCENTII GREGORII LAVAZZOLI

PRO ACCEPTATIONE, ET EXAMINE IN REGENTEM

REGALIS STUDII

S. DOMINICI MAJORIS.



L'Antico Suggello della Provincia di Regno

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

MDCCLXXVI.

41

Digitized by Google

418

PROMOVENDI AD GRADUS IN PROVINCIA REGNI EXAMINENTUR, ET SUB EXCOMMUNICATIONIS LATÆ SENTENTIÆ PŒNA NONNISI APTI, ET IDONEI PER VOTA SECRETA A QUINQUE EXAMINATORIBUS ADMITTANTUR.

Bullarium Ordinis Prædicatorum in Bulla S. Pii V. Accepimus nuper &c. *anno* 1569. *pag.* 215.

Digitized by Google

419



SUmmum Deum, qui ſolus ex nihilo omnia condidit, ſive quæ in cælis ſunt, ſive quæ in terris viſibilia, & inviſibilia, ſanctorum miniſterio Angelorum non ex indigentia providentiæ ſuæ, ſed ex abundantia potius ſuæ Bonitatis mundum hunc viſibilem, & homines, qui in eo ſunt, regere, & gubernare, indubitata fide tenemus (1). Id ſane nullus, niſi Sadducæus, qui Angelos ipſos in rerum natura exſiſtere negabat, inficiatur: Nec immerito; cum hæc Angelorum miniſteria paſſim in divinis Litteris luculentiſſime deſcripta reperiantur. In his enim Angelos legatos modo legimus a Deo miſſos ad prænuncianda inſignium quorumdam virorum natalia, Iſaaci, Samſonis, Joannis Baptiſtæ, ac tandem Jeſu Chriſti Dei pariter, ac hominis; modo ad annunciandam voluntatem ſuam Prophetis, ut Abrahamo, Danieli, Zachariæ, aliiſque ſanctiſſimis hominibus. Legem ipſam veterem traditam a Deo fuiſſe per Angelos in manu Moyſi, notat Apoſtolus; eoſque ſpiritus adminiſtratorios vocat ad Hæbreos I. Sæpe etiam vicibus Dei fungentes, cum homines alloquerentur, nomen ipſum Domini Elohim, ſacrum quoque aliquando, ac incommunicabile Jehovah, uſurpaſſe, legimus in Geneſi. Qua de re Philo diſertiſſimus Judæorum, ac S. Damaſcenus recte aſſerunt, hoc eſſe in Mundo Angelos, quod in amplis ædibus columnæ; nam ſicut iſtæ domum, orbem illi ſuſtentant, & ornant. Cecinitque de illis propterea Nazianzenus carmine 6. *Pronaque ad obſequium pars altera ſuſtinet orbem; auxilioque ſuo ſervat:* Et Gregorius ille magnus Eccleſiæ Pontifex, nihil in hoc Mundo viſibili, niſi per creaturam inviſibilem, diſponi poſſe, ſcribere non dubitavit lib. 4. Dialogorum cap. 15. Hinc per ſcalam, quam vidit Jacob, ſatis accommodate Dei intelligunt providentiam Theodore-

(1) S. Thomas P. P. q. 113.

420 doretus, & Cyrillus; per aſcendentes autem, ac deſcendentes Angelos, ipſorum in viſibilis hujus Mundi gubernatione ſpirituum miniſteria interpretantur.

Errarunt ergo, nec audiendi ſunt, qui in cæleſtia ſolum corpora immediatam præſidentiam ſuperiores ſpiritus ſeu intelligentias, ut ajebant ipſi, habere opinati ſunt; non advertentes, ut notat S. Thomas, quod in rerum natura plures ſæpe fiunt operationes, quæ vim, ac virtutem corporum excedunt, ad quas proinde ſola impreſſio, motus, & influentia cæleſtium corporum haud ſufficit, quæque propterea fieri nequaquam poſſunt, niſi Angelorum miniſterio. At ſi a quibuſdam ſuperiores ſpiritus non plures numerati ſunt, quam quos movent orbes, & cæli, quibus præſident adminiſtrandis; contra Gentiles alii Philoſophi ſenſerunt. Hinc tanta apud illos Geniorum religio erat, ut in extremum lapſi errorem, eos Mundi etiam hujus viſibilis factores eſſe, arbitrati ſunt, eoſque ſacrificiis, tamquam minores quoſdam Deos coluerunt; quem errorem cum adoptarent Simoniani, fideles Corinthi monuit Apoſtolus, ut ſeduci haud ſinerent in humilitate, & Religione Angelorum.

Imo ſi diligenter, quæ de ſanctis Angelis tradunt divinæ Litteræ, perpendamus, certum etiam exiſtimabimus, quod cum S. Gregorio, atque Andrea Cæſarienſi in hac q. 113. a. 2. docuit laudatus Doctor Angelicus, rerum videlicet corruptibilium ſingulis generibus ſuum adeſſe Angelum ad eorum regimen deputatum, ut in finem uſque Mundi illæſa ſerventur. Nam Apocalypſis *16.* commemoratur Angelus aquarum multarum; & ibid. de alio fit mentio habente poteſtatem ſuper ignem. Auguſtinus etiam lib. 83. qq. q. *79.* dicit, quod unaquæque res viſibilis in hoc Mundo habet poteſtatem Angelicam ſibi præpoſitam: quod certe ſatis rationabile videtur, quia, ut recte ait S. Doctor, divina providentia principalius eſt circa ea, quæ perpetua ſunt, cujuſmodi ſcimus eſſe genera, ac ſpecies rerum corruptibilium.

Hæc cum ita ſint, nos in præſentiarum de hominibus tantum ſermonem inſtituimus. Imo nec de hominibus ſermo nobis eſſe oportet, ut unam conſtituunt communitatem Eccleſiaſticam, aut politicam; has enim per Angelos regi, & gubernari manifeſta teſtantur Scripturarum oracula: *Ecce ego* (ſic Deum totum Iſraelis populum alloquentem legimus Exodi 23.) *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum, quem paravi.* Super muros etiam Hieruſalem poſuiſſe Dominum cuſtodes, ideſt Angelos, ut Patres interpretantur, ſcribit Iſaias cap. *62.* Et ne id uni populo Iſraelitico credamus eſſe conceſſum, Danielis 10. de Angelo Perſidis ſermo eſt; de Angelo Macedoniæ Actorum *16.* de Angelis plurium gentium apud Zachariam. *Archangelus* etiam *Michael* Princeps dicitur populi Dei in eodem capite 10. Danielis Hinc imperiis ſingulis, ſingulis regnis, provinciis, nationibus, nec-

non

non Eccleſiis (1), ac communitatibus & Monaſteriis proprium etiam eſſe Angelum ad cuſtodiam deſtinatum, docent PP. omnes. *Per gentes, & Civitates diviſæ ſunt*, ait Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, *Angelorum præfecturæ*; idque probat Origenes ex cap. 1. 2. & 3. Apocalypſis; aſſerunt hoc etiam alii omnes, præſertim Gregorius lib. 17. Moralium cap. 8. Epiphanius hær. 51. & Nazianzenus carmine 6. ubi de Angelis dicit: *Illi homines, Urbes iſti, genteſque gubernant*. Et hoc ſane rectum divinæ providentiæ ordinem poſtulare videtur, ut quæ videlicet magis mobilia, ac variabilia ſunt, per ea quæ magis immobilia, ac invariabilia ſunt, regantur, & gubernentur: Cognitiones autem & affectus hominum magis variabiles ſunt, quam cognitiones, & affectus Angelorum: Id igitur divinam decet providentiam, ut homines per Angelos regantur, & gubernentur; ſicut optime ſemper loquitur S. Thomas in hujus quæſtionis articulo primo.

Nec præterea mens nobis eſt, illam modo tangere quæſtionem, utrum ſinguli humanarum Communitatum Prælati, Epiſcopi, Reges, Principes, ſive Duces, peculiares, ac proprios habeant Angelos, a quibus de his, quæ ad regimen attinent Communitatis, illuminentur, ut docuit S. Th. in 2. Sent. diſt. 11. q. 1. a. 2. ad 4. Neque tandem de quolibet Sacerdote celebrante divina myſteria præſens quæſtio inſtituitur, an ſingulis aſſiſtant Angeli; quam affirmative reſolvit idem S. D. 3. p. q. 83. a. 4. ad 9. Hæc ſine dubio ſatis rationabiliter dicuntur. Cum enim Prælatus duplicem prudentiam habere neceſſe ſit, unam politicam, alteram monaſticam; a duobus pariter Angelis illuſtrari, opus habent. Similiter ſi Manue ſacrificanti Angelus adſtitit, Judicum 13. & Zachariæ thus adolenti Angelus apparuit ſtans a dextris altaris incenſi, ut narrat S. Lucas cap. 1. ſui Evangelii; quanto magis Sacerdoti Chriſtum ipſum immolanti ſuum aſſiſtere Angelum, exiſtimandum eſt, ut ipſum ad tantum ſacrificium devote, ac digne celebrandum excitet, ejuſque

A 7 pre-

(1) Inter varias, quæ Neapoli exſtant ſub titulo S. Michaelis Archangeli Eccleſiæ, vetus adeſt Abbatia antiquitus dicta S. Archangeli de Morſiſa, alias Morſixa, quam anno 1116. Paſchalis II. Papa ſub Apoſtolicæ Sedis protectione ſuſcepit. *Vide Ughellum tom. 6. pag.* 140. Ordinis erat S. Benedicti, cujus Monachi monaſterium cum Eccleſia libenter Fratribus Prædicatoribus S. Dominici ceſſerunt anno 1231. *Vide eundem Ughell. pag.* 161. Ibi profeſſus vixit Doctor Angelicus S. Thomas Aquinas. Vocabatur etiam de Illamorfixa, titulum poſtea accepit S. Dominici ab Alexandro IV. anno 1255. *Ibidem pag.* 172. *Et Cæſar d'Engenio in Neapoli Sacra pag.* 264. *Lubin Abbatiarum Italiæ pag.* 253. Amplificata deinde fuit magnificentius cum Coenobio a Carolo II. Andegavenſi.

preces Deo offerat ? Verum iſta omnia extra præſentem ſunt controverſiam ; de hominibus nunc ſolum loquimur, prout ſunt ſingulares perſonæ.

Cum autem Angeli homines duobus modis cuſtodire poſſint, cuſtodia videlicet extraordinaria, palam apparendo in corpore aſſumpto, eoſque miris quibuſdam modis ab inſtantibus periculis liberando ; & cuſtodia ordinaria inviſibiliter hominibus aſſiſtendo, eiſque bonum conſulendo, ac illorum mentem illuminando; de hac ſecunda tantum cuſtodia ſermonem facimus. Nam tutandis, protegendiſque quibuſdam juſtis hominibus Angelos extraordinario quodam modo Deum aliquando miſiſſe, indubitatum eſt. Hujus enim exempla plurima divinæ nobis Scripturæ exhibent: *Deus meus*, inquit Daniel Propheta, *miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mibi*. Petro etiam Apoſtolo vincto duabus catenis Angelus viſibiliter aſtitit in carcere, eumque de manu Herodis liberavit. De Raphaele item Archangelo ad Tobiam miſſo, ut filii ejus comes eſset in via, ejuſque uxorem Saram a dæmonio liberaret, conſtat in eodem libro. Unum igitur nobis omni argumentorum genere demonſtrandum eſt, quod homines ſinguli, ut ſunt privatæ quædam perſonæ, ſive juſti ſint, ſive peccatores, fideles, vel infideles a ſingulis cuſtodiantur Angelis *inviſibiliter* illis aſſiſtentibus, eoſque de recte agendis illuminantibus.

Qua in re unum habemus adverſarium Joannem Calvinum, qui primum de hac veritate dubitavit; deinde lib. I. Inſt. cap. 14. audacter merum eſse commentum aſseruit.

At luce ipſa apertiora ſunt Scripturæ, ac PP. omnium Eccleſiæ ſæculorum teſtimonia, quibus noſtra probatur aſsertio. Illa tamen propter temporis anguſtias ſeligam, quæ rem noſtram propius tangunt. Virum juſtum alloquens Propheta Pſ. 90. *Angelis ſuis*, inquit, *mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum* : quibus ultimis verbis juſtorum ſingularis Dei per Angelos cuſtodia deſignatur. Hinc idem ſubdit Propheta: *Quoniam in me ſperavit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit Nomen meum*. Juſti igitur homines in Deum ſperantes, ac Nomen Dei verbis, ac factis confitentes ab Angelis ſingulari quodam modo cuſtodiuntur, & fortaſse a pluribus etiam Angelis, ſæpe ut nihil eis noceat, ſemper ut omnia illis proficiant ad ſalutem. Et ne putes juſtos tantum ab Angelis cuſtodiri, audiamus de omnibus fidelibus Dominum loquentem Matth. 18. *Videte ne contemnatis unum ex his puſillis : Dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cælis eſt*. Puſillorum autem nomine non pueros, quos ad ſe vocavit, Chriſtus intelligit, ſed omnes fideles ; id quod perſpicuum fiet, ſi prælaudatis verbis jungas, quæ Lucas, & Marcus habent. Ita enim CHRISTUS loquitur Lucæ cap. 9. *Quiſquis ſcandali-*

Digitized by Google

dalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur. Et rurſus cap. 12. Apoſtolos alloquens: *Nolite*, inquit, *timere puſillus grex*. Similia habet S. Marcus. Illos igitur puſillos Chriſtus vocat, qui in ipſum credebant; hos in viliſſimorum hominum cenſu habendos non eſse monet, quod ſuperbia, & ambitione careant; eis enim cuſtodes, ac defenſores ſunt Angeli, quibus Dei ſolium in cælis ſtipatur . . . Fideles igitur omnes in Chriſtum credentes ſuos habent Angelos, a quibus cuſtodiuntur; etiamſi in accepta fide, ac juſtitia non ſint permanſuri, cum Chriſtus nec Judam exceperit, qui minime perſeveravit.

Quod igitur *unicuique fidelium*, inquit Baſilius lib. 3. contra Eunomium, *adſit Angelus, tamquam pædagogus aliquis, & paſtor vitam gubernans, nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: Ne contemnatis unum ex his puſillis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt*. Et Chryſoſt. hom. 3. in cap. 1. Epiſt. ad Coloſs. *Secundum numerum fidelium*, ait, *eſſe numerum Angelorum*. Verum tamen eſt, & negare non audeo hujuſmodi Scripturæ, ac PP. teſtimonia non de Ethnicis, ac infidelibus, ſed de juſtis tantum, ac fidelibus hominibus *præcipue* loqui. Attamen ad omnes indiſcriminatim cæteri Eccleſiæ PP. Angelorum hinc curam, & cuſtodiam extendunt. Ita Nyſsenus in vita Moyſis, ubi ſcribit, *occultam eſſe traditionem, ſive ſermonem fide dignum ex paterna traditione acceptum, ac deſcendentem, Angelum quemdam incorporea natura conſtantem, unicuique in adminiculum vitæ fuiſſe a Deo conſtitutum*. Et Bernardus ſuper illa verba: *Angelis ſuis Deus &c.* ſerm. 12. *Si Fidem*, inquit, *conſulas, en tibi angelicam probat præſentiam non deeſſe . . . Adſunt non modo tecum, ſed etiam pro te; adſunt, ut protegant, adſunt, ut proſint*. Et lib. 5. de Conſid. cap. 4. ait, *quod ſinguli Angeli ſingulis hominibus dari creduntur*. Hieron. etiam in cap. 18. Matt. ita exclamat: *Magna dignitas animarum, quod unaquæque ab ortu nativitatis habeat in cuſtodiam ſui Angelum delegatum, vel deputatum*. Imo ipſe Chryſoſtom. alibi docet, *unumquemque Angelum habere Cuſtodem*. Et ſane ſi, ut ſupra tetigi, ſingulis Regnis, Provinciis, ac nationibus, *licet infidelium*, ſinguli ſunt Angeli ad regimen deſtinati, ut communiter docent Scriptura, & PP., cur Angelorum particulari cuſtodia privabuntur infideles ipſi? Eo vel magis quia, ut docet S. Th. in hac q. Angelorum cuſtodia ad providentiam Dei pertinet generalem, qua nullus privatur homo, eſto Ethnicus, & infidelis.

Ex his igitur, quæ de cuſtodibus Angelis nobis tradunt SS. PP., qui illos modo *Dei Officiales* appellant, ut Tertullianus; modo *ſalutis noſtræ miniſteriales*, ut Cyprianus; modo *Duces populi*, ut Cyrillus Alexandrinus; modo *pædagogos, & ductores noſtros*, ut Dionyſius, & Athanaſius; orta eſt Eccleſiæ Univerſalis conſuetudo, fide-

Digitized by Google

424 fidelium omnium conſenſu confirmata, quæ ubique terrarum ſingulos docet fideles, ſuos invocare cuſtodes Angelos, idque publico, ac ſolemni officio, ſive orandi ritu: Quæ Univerſalis Eccleſiæ conſuetudo ſola ad hanc Angelorum cuſtodiam ſuadendam ſufficeret, etiamſi Scripturæ ſilerent, & PP. Ut enim notat Auguſtinus Ep. 108. *Univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, etſi de aliquo dogmate expreſſam non haberemus Scripturæ definitionem, ſola ſufficit, contra quam diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*. Quadere, quod juſti, ac ſinguli fideles a ſingulis, ac propriis cuſtodiantur Angelis, cum de iis Scriptura, ac PP. omnes expreſſius loquantur; merito ut fidei dogma a multis recipitur eruditiſſimis viris. Temeraria ſaltem, ſive potius hæreſi proxima, ac tanquam hæretica damnanda oppoſita cenſenda eſt Calvini ſententia, ſi juxta regulas Melchioris Cani, nulla ſit hæretica dicenda opinio, quam clare, & expreſſe, conceptiſque verbis, ut hæreticam nondum damnavit Eccleſia.

Dies me deficeret, vobiſque N. N. tædium afferrem, ſi ad oppoſitam Calviniſtarum ſententiam refellendam Gentilium Philoſophorum, ideſt Heſiodi, Epicteti, Platonis, Apuleii, Cenſorini, aliorumque dicta in medium proferrem. Id unum ſufficiat, a Calviniſtis negari, quod lumine ſolum naturæ Ethnici cognoverunt (1).

Rema-

(1) *Mementote*, inquit Epictetus apud Arianum lib. 1. diſsert., *nunquam vos ſolos eſſe; ſed Deus intus eſt, & veſter genius eſt intra domum*. Plato vero in Apologetico pro Socrate ad Athenienſes: *Genium hunc noſtrum, ſive Dæmonem*, ut ipſe appellat, *teſtem*, ait, *futurum apud Deum poſt mortem operum noſtrorum*. Et Apulejus loquens de Dæmone Socratis, illum vocat, *præfectum domeſticum, ſpeculatorem proprium, curatorem intimum, obſervatorem individuum, arbitrum, & teſtem inſeparabilem, malorum improbatorem, bonorum vero approbatorem*. Addit Cenſorinus de die natali, *Genium ita nobis obſervatorem appoſitum eſſe, ut ne puncto quidem temporis longius abſcedat, ſed ab utero matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur*. Cujus ſententiæ antiquitas in Heſiodo conſpicitur Græcorum Poetarum vetuſtiſſimo lib. 1. operum, & dierum, ubi *bonos in terris eſſe Angelos*, ait, *ab Jove miſſos cuſtodes mortalium, qui & juſta, & iniqua hominum opera obſervant*.

Sed duo nos inter, & ipſos diſcrimina, ac veluti parietes ponendi ſunt, quod ipſi cum Judæis unicuique duos adeſſe Angelos, probum ſcilicet, & pravum frequenter putavere, ac priorem opem, & bonum præſtare conſilium, alium inſidias moliri credebant; quæ opinio etiam apud indoctos fideles probata eſt, & in duobus vetuſtiſſimis libris invenitur, altero ſcilicet Hermæ, ſive Paſtoris; altero Barnabæ; & quod magis mirum eſt, in eandem quoque opinio-

Digitized by Google

Remanet igitur ut pro more, & conſuetudine noſtram hanc ſententiam argumento ſatis rationabili confirmemus cum S. Thoma Angelico Doctore: In his enim, ut recte notat Cajetanus, ſatis eſt rationi conſona dicere. Quod Angeli ad hominum cuſtodiam deputentur ad executionem pertinet divinæ providentiæ erga homines, qua illos regit, ac gubernat: Providentia autem divina, cum rectiſſima, ac ordinatiſſima eſſe oporteat, potior, ac principalior eſſe debet circa illa, quæ perpetuo manent, quam circa res corruptibiles, quæ tranſeunt: Hæ enim utpote ordinis inferioris, a Sapiente Proviſore ad res perpetuas ordinantur, ac propter illas ſunt volitæ. Cum igitur homines ſinguli incorruptibiles, ac immortales ſint, non ſolum quantum ad ſpeciem communem, ſed etiam quantum ad formas ſingulorum, quæ ſunt animæ rationales; aliæ vero res corruptibiles, ſolum incorruptibiles ſint. quantum ad ſpeciem; ſequitur, quod providentia Dei ita comparatur ad ſingulos homines, ſicut comparatur ad ſingula genera, & ſpecies rerum corruptibilium. Sed juxta Gregorium Hom. 34. in Evang. diverſi ordines Angelorum deputantur diverſis rerum generibus, ut Poteſtates ad arcendos Dæmones, Virtutes ad miracula facienda in rebus corporeis: Probabile etiam eſt, ſubdit S. Doctor, quod diverſis ſpeciebus rerum corruptibilium diverſi Angeli ejuſdem ordinis præficiantur. Ergo rationabile etiam eſt, ut diverſis hominibus diverſi Angeli ad cuſtodiam deputentur.

Redamemus igitur, ita cum S. Bernardo hanc meam claudo prælectionem, *redamemus Angelos cuſtodes noſtros, honoremus eos, quam poſſumus, quam debemus. Suſpiremus ad eos*, addit Gregorius; *ineamus amicitiam cum Angelis cuſtodibus noſtris*, ſubjungit Leo Magnus, audiamus eos, qui nos amant, nos diligunt, & ſummâ curâ bonum noſtrum promovent, & conſulant. Si dolore opprimeris; levabunt: ſi animi dubiis cruciaris; removebunt. In tædio, in dejectione animi, in metu, omne ab illis ſolatium, robur, & virtus, ſuaviter, blandeque ſuppeditabuntur. Si illos audiemus, quos cuſtodes hic habemus, conregnantes in Cælo habebimus.

Debi-

---

nionem conceſſerunt veteres quidam Patres, præſertim Origenes, etſi in illa conſtans non fuerit. At nos Angelum hunc malum ſingulis hominibus datum non probamus, ſed in opiniones apocryphas, imo falſas hanc perſuaſionem rejicimus. Secundum nos inter, & Gentiles diſcrimen eſt, quod ipſi Genios ſingulis fere rebus ſuis cuſtodes aſſignabant; quam opinionem Prudentius contra Symmachum irridet, & S. Thomas pluribus in locis impugnat. Nos autem unum bonum Angelum uni homini cuſtodem datum eſſe credimus, a quo, ſi Deus ita diſpoſuerit, omnia quæ illius ſunt, ſervari poterunt.

Digitized by Google

Debitum autem, & gratitudo [1] debita, quod feci, & facio, me inprimis facere compulerunt. Nam quicquid habeo, & quicquid porro habiturus ſum, cui poſt DEUM alii, quam Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo P. Generali F. Joanni Thomæ de Boxadors, Vobiſque omnibus, Ornatiſſimi PP., acceptum feram? Non recenſebo beneficia ſingula, quorum nihilominus memoria apud me erit ſempiterna. Unum tamen, quod familiam ducit, & recens contigit, ſilentio præterire nequeo. Quodnam illud? In hoc Regali Studio Cathedræ matutinæ aſſignatio. Quod beneficium ego tanti facio, ut quas grates rependam non invenio. DEUS compenſator omnis boni, Eminentiſſimo Patri, ob id benedicat ex alto. Sit illi proſperitas, & ſalus. Votum hoc meum gratitudinis loco, & cum ipſo me potius ipſum totum, vobis AA. RR. PP. offero, & addico.

. . . . . Quamdiu vivam
Vivam memor, pectuſque ſincerum geram
Vos mente fida ſemper obſervans colam,
Veſterque dici gloriabor . . .

[1] *Ad gratitudinem requiritur primo ut homo recognoſcat beneficium acceptum: Secundo quod laudet, & gratias agat: Tertio quod retribuat loco, & tempore ſecundum ſuam facultatem.* S. Thomas 2. 2. q. 107. a. 2.

VA1
1544842

42/

Digitized by Google

428

Digitized by Google